FRIDERICO THIERSCHIO

DOCTORIS PHILOSOPHIAE HONOREM

ABHINC QUINQUAGINTA ANNOS

A. D. XIV. CAL. IUL. MDCCCVIII.

ACCEPTUM

CONGRATULANTUR

GYMNASII BARUTHINI CUM SCHOLA LATINA

PROFESSORES ET MAGISTRI.



BARUTHI.

TYPIS HOERETHIANIS.

MDCCCLVIII.

1858

Quo die quicunque Te, Vir clarissime, diligunt observant colunt omnes undique magna frequentia congregantur gratulaturi Tibi honoris quinquaginta abhinc annos ad Te delati et recordationem gratissimam et faustissimam instaurationem, eo die ne nos quidem deesse voluimus dignitati celebrandae Tuae communique omnium laetitiae. Et est profecto quod laetemur. Nam cogitantes qualem ex eo tempore, quo doctoris philosophiae gradum assecutus es, non docendo solum et praecipiendo, sed etiam rebus prudenter ac fortiter gerendis longa annorum serie Tu Te praebueris, non sine summa et voluptate et admiratione intelligimus prosperrimo successu ad eventum esse perducta, quae de ingenii Tui praestantia recte iudicantes viri doctissimi olim sunt augurati.

Tam late autem patent laudes Tuae ac tanta est meritorum Tuorum varietas, ut alii alia suo quisque in studiorum genere habeant quae praedicent egregie a Te perfecta. Nobis id maxime videtur convenire, ut quantum labores Tui scholis nostris attulerint adiumenti atque utilitatis pia consideremus memoria. Cum enim ingens sit numerus eorum, quos Tu disciplina auctoritate exemplo ad ea quae φιλολογίας nomine complectimur doctrinae genera ita institueris, ut ipsi partim quae Te docente didicissent alios possent uberrimo fructu docere, partim has ipsas literas novo augere incremento novisque decorare ornamentis: tum earum artium, quibus gymnasiorum discipuli maxime sunt imbuendi, dignitatem et rationem tam luculenter illustrasti tamque acriter defendisti, ut qui rei apud nostros scholasticae summum Te et praesidium et decus appellarit, is neutiquam iudicandus sit a vero aberrasse.

Haec igitur nobiscum recolentes diem laude Tua insignem non esse praetermittendum statuimus quin afferremus aliquid, quod voluntatis nostrae gratique animi esset documentum, quodque ex eo genere studiorum petitum, in quo Tu habitas et regnas, si non opere nostro, at sua vi ac natura posset Te oblectare aliquantulum animumque Tuum a gravioribus rebus paulisper avocare. Nam reconditiores si adiremus doctrinae partes atque inde depromere vellemus quae recusarent humeri nostri ferre, temere faceremus atque arroganter. Quapropter qui in puerorum institutione consueverimus versari, quaestiones quasdam, quae ad expeditius nostrum interpretandi veteres scriptores munus pertinerent, paulo diligentius tractare decrevimus. Qua in re etsi non ignorabamus nihil nos effecturos quod eruditione Tua satis esset dignum, tamen Te confidebamus, quae esset Tua erga nostrarum scholarum rationes atque instituta benevolentia, ne hos leviores quidem conatus nostros esse contemturum. Itaque Te rogamus ut adesse quasi fingas Te nobis in schola cum discipulis nostris locos aliquot praestantissimi poëtae explicantibus diiudicesque utrum quae afferamus probabilia videantur esse an erroris condemnanda.

Soph. Electra v. 1037 sqq.

ΗΛ. τῷ σῷ δικαίῳ δῆτ' ἐπισπέσθαι με δεῖ;
ΧΡ. ὅταν γὰρ εὖ φρονῇς, τόθ' ἡγήσει σὺ νῷν.
ΗΛ. ἦ δεινὸν εὖ λέγουσαν ἐξαμαρτάνειν.
ΧΡ. εἴρηκας ὀρθῶς, ᾧ σὺ πρόςκεισαι κακῷ.
ΗΛ. τί δ'; οὐ δοκῶ σοι ταῦτα σὺν δίκῃ λέγειν;
ΧΡ. ἀλλ' ἔστιν ἔνθα χἠ δίκη βλάβην φέρει.

De sententiarum quae versibus supra scriptis inter se nectuntur ratione non parva est inter viros doctos dissensio. Cuius dissensionis causa in iis maxime est posita, quae Electra dicit: ἦ δεινὸν εὖ λέγουσαν ἐξαμαρτάνειν. Et Wunderus quidem, cui assentitur Hartungius, his censet Electram exprobrare Chrysothemidi, quod, quamquam recte dicat, tamen non recte faciat; miserum enim esse eam, quae dicat id esse faciendum quod iustum sit, non facere quod iustum sit; ostendisse autem modo Chrysothemidem, quod iustum esset faciundum esse. At in ea quidem tragoediae parte, cuius hic locus est, nil tale ostendit Chrysothemis, et quae dixit eadem v. 338 sq. καίτοι τὸ μὲν δίκαιον οὐχ ᾗ 'γὼ λέγω, ἀλλ' ᾗ σὺ κρίνεις, ea remotiora sunt quam quae nunc respicere possit Electra. Deinde huic explicationi hoc quoque videtur obstare quod, si isto sensu locuta est Electra, nullo modo Chrysothemidi licuit subiicere εἴρηκας ὀρθῶς, ᾧ σὺ πρόςκεισαι κακῷ. Nam εὖ λέγειν cum Electra non potuerit dici nisi propterea, quod necandum esse dixit Aegisthum, quomodo eadem possit argui ἐξαμαρτάνειν propterea, quia, quod decrevisse se recte dixerit, idem velit perficere? Quam quidem difficultatem tollere sibi videtur Wunderus docens non eodem sensu ab Electra positum esse verbum ἐξαμαρτάνειν quo acceptum sit a Chrysothemide; Electram enim hoc voluisse significare: facere quod non iustum honestumve esset, Chrysothemidem autem sic usurpasse ut esset: facere quod non utile perniciosumque esset. Sed quamquam negari non potest eiusmodi ambiguitate orationis usos nonnunquam esse poëtas tragicos eo maxime consilio, ut vel cupiditate quadam occaecati homines suis ipsi dictis imprudentes viderentur tristissima quaeque vaticinari, vel humana stultitia ac temeritate dissidente a rerum veritate divinoque numine ut gravius commoverentur spectantium animi: tamen illud eos fecisse non videtur statuendum esse nisi iis locis, quibus vel peculiaris quaedam vis tragica quaesita est ex ambiguitate, vel qui faciliorem non habent explicationem quorumque ratio ipsa cogit quodammodo ad ambiguitatem istam revocare interpretationem. Quod hoc loco non esse necessarium paulo post videbimus.

In alia omnia Doederlino obsecutus atque Ellendtio discessit Schneidewinus, quem praematura morte his literis ereptum omnes lugemus. Is enim censuit, quae Electra diceret ἦ δεινὸν εὖ λέγουσαν ἐξαμαρτάνειν, ad ipsam Electram esse referenda; queri eam, quod vera dicens tamen non assequeretur quod vellet; persuaderi enim non posse Chrysothemidi, ut Aegisthum una secum ulcisci auderet. Sed haec quoque interpretatio habet quo displiceat. Primum enim, quod rectissime intellexit Wunderus, ipsa Chrysothemis putat illa de se esse dicta, et quod opprobrium in eam coniecit Electra, idem in illam reiicit respondens

εἴρηκας ὀρθῶς, ᾧ σὺ πρόςκεισαι κακῷ. Deinde haec Chrysothemidis verba ne careant sensu idoneo, admittendam statuit Schneidewinus ambiguitatem etiam multo duriorem quam Wunderus. Chrysothemidem enim hoc ait ille dicere: In hoc ipso tu es vitio, ut honesta loquaris, prava agas. Haec vero sententia ab ea, qua Schneidewino auctore Electra sumenda est sua dixisse, tantum distat, vix ut quisquam, qui talia colloquentes audiat, eiusmodi sermonis contextum possit coniectura assequi. Postremo in iis quae dixit Electra quaeque respondit Chrysothemis cum maximum sententiae pondus positum sit in notione verbi *ἐξαμαρτάνειν*, hoc ipsum autem verbum et Wunderus et Schneidewinus interpretentur ita, ut vim habeat a verbo *λέγειν* prorsus seiunctam, offendit nos quod Electra subiiciens *τί δ'; οὐ δοκῶ σοι ταῦτα σὺν δίκῃ λέγειν;* alteram magis premit sententiae partem, quae continetur verbo *λέγειν*. Quo fit ut iusta sententiarum series ingrata quadam discrepantia solvatur ac distrahatur.

Iam exponamus qualem ipsa loci ratio ac natura afferre quasi atque in manus tradere videatur explicationem.

Dictum Electrae *ἦ δεινὸν εὖ λέγουσαν ἐξαμαρτάνειν* „profecto miserum bene loquentem peccare" referendum est ad Chrysothemidem pertinetque ad ea quae haec modo dixit *ὅταν γὰρ εὖ φρονῇς, τόθ' ἡγήσει σὺ νῷν.* Etenim probat Electra sententiam, quae in his verbis inest: qui sapiat, eum ducem esse debere, atque hoc pronuntians *εὖ λέγειν* ei videtur Chrysothemis. At eandem hoc ipsum dicentem statuit Electra peccare atque repugnare veritati, quod opinetur, non hoc tempore sana mente esse sororem, sed tempus aliquod exspectandum esse, quo ab ea animi commotione, qua nunc agitetur illa, reditura sit ad mentis sanitatem. Itaque non sunt diversa, quibus Chrysothemis tum *εὖ λέγειν* dicitur tum *ἐξαμαρτάνειν*, veluti si quis laudet iustitiam, sed faciat quae iniusta sint, vel si quis persuadere aliquid conetur alteri, at permovere illum, ut sibi obtemperet, non possit; in una potius eademque re positum est utrumque, et quod *εὖ λέγειν* dicitur et quod *ἐξαμαρτάνειν*. Nam sic sentit Electra: quae per se spectata sint verissima, eadem non in tempore usurpata fieri falsa, et quamquam recte postulet Chrysothemis, ut soror, si regere se velit, prudentia ne sit destituta, tamen illud ipsum postulando si neget, nunc sana mente uti sororem, vehementissime eam errare.

Deinde Chrysothemis cum respondeat *εἴρηκας ὀρθῶς, ᾧ σὺ πρόςκεισαι κακῷ*, id vitium quod tribuitur Electrae nihil aliud poterit esse nisi quod ipsa *εὖ λέγουσα ἐξαμαρτάνει*. Quae de Electra a Chrysothemide non alio dicta sunt sensu atque de Chrysothemide modo dicta fuerunt ab Electra. Itaque ne Electra quidem vituperatur, quod alia loquatur alia faciat, quodque dictis laudem mereatur factis reprehensionem, sed in iis ipsis, quae recte dicat, videtur illud inesse, quod sit vitiosum. Agnoscit enim ac fatetur Chrysothemis vere dicere Electram, gravissimo supplicio dignum esse Aegisthum, qui facinus in Agamemnone perpetrarit atrocissimum; at errare eandem statuit haec nunc dicentem cum huic rerum statui non sint accommodata; nunc enim ea, quae dicat Electra, vel peragi non posse, vel si quis peragere conetur perniciosa ei esse futura.

Recte autem nos iudicare censentes *τὸ κακὸν* quod Electrae esse dicit Chrysothemis non contineri solo *ἐξαμαρτάνειν*, sed referendum simul esse ad *εὖ λέγειν*, apparet ex eo quod deinde quae-

rens Electra τί δ'; οὐ δοκῶ σοι ταῦτα σὺν δίκῃ λέγειν; ad solum illud λέγειν respicit ita, ut, nisi εὖ λέγειν et ἐξαμαρτάνειν putentur in unum quasi coaluisse, haec quaestio nullo modo videatur cum prioribus probabiliter cohaerere. Miratur enim Electra quod, quamquam dicatur εὖ λέγειν, tamen in his ipsis quae recte dicat aliquid erroris videatur inesse, neque arbitratur aliter falsi quidquam in illis posse inveniri, nisi si dicta sua abhorrere putentur ab iustitia. Quapropter τί δ'; inquit, οὐ δοκῶ σοι ταῦτα σὺν δίκῃ λέγειν; Tum demum Chrysothemis quod sentit clarissime aperit dicens: ἀλλ' ἔστιν ἔνθα χἡ δίκη βλάβην φέρει. „Iustum quidem est, quod tu dicis, sed etiam iuste dicta, si non in tempore dicuntur, nonnunquam perniciosa sunt; itaque stultitiae est ac temeritatis iusta loqui eo tempore quo iustitiam non possis tueri nisi ita ut et iustitiae ipsi illud et tibi iustitiam tuenti detrimentum afferat."

Soph. Electra v. 1339 sqq.

ΟΡ. πῶς οὖν ἔχει τἀντεῦθεν εἰσιόντι μοι;
ΠΑΙΔ. καλῶς. ὑπάρχει γάρ σε μὴ γνῶναί τινα.
ΟΡ. ἤγγειλας ὡς ἔοικέ μ' ὡς τεθνηκότα.
ΠΑΙΔ. εἷς τῶν ἐν Ἅιδου μάνθαν' ἐνθάδ' ὢν ἀνήρ.
ΟΡ. χαίρουσιν οὖν τούτοισιν; ἢ τίνες λόγοι;
ΠΑΙΔ. τελουμένων εἴποιμ' ἄν· ὡς δὲ νῦν ἔχει,
καλῶς τὰ κείνων πάντα, καὶ τὰ μὴ καλῶς.

Consentit Wunderus cum Hermanno v. 1345 sic explicante: „ut nunc res se habet, bene omnia quod ad illos attinet, etiam quae non bene: i. e. opportuna vobis omnia sunt, etiam scelestum Clytaemnestrae de morte Orestis gaudium, ex eoque maxima securitas."

Schneidewinus: „Mit ὡς δὲ νῦν ἔχει ff. wiederholt der Pädagog, was er 1340 gesagt hatte, nur geheimnissvoll beifügend καὶ τὰ μὴ καλῶς (auch was für jene nicht gut ist d. h. unser Mordanschlag): Alles geht (für uns) gut mit ihnen. Zugleich liegt in ὡς δὲ νῦν ἔχει eine leise Mahnung, nicht den rechten Augenblick der That zu versäumen."

Nobis haec videtur esse huius loci ratio: postquam interrogavit paedagogum Orestes χαίρουσιν οὖν τούτοισιν; ἢ τίνες λόγοι; ad posteriorem huius interrogationis partem, quae continetur verbis τίνες λόγοι primum respondens τελουμένων, inquit, εἴποιμ' ἂν „re peracta dicam." Nam quia longum est referre eorum, qui intus sunt, sermones, negat paedagogus se nunc narraturum quae illi dicant, nunc enim non esse cunctandum sed celeriter faciendum quod suadeat temporis opportunitas. Deinde subdit: ὡς δὲ νῦν ἔχει. Quibus verbis tempus significari ab eo tempore quod indicatur participio τελουμένων diversum recte intellexit scholiastes. Opponit enim paedagogus ei tempori, quo re peracta poterit cum securitate plura copiosius exponere, id tempus, quod nunc instat cuiusque ea est ratio, ut non ferat longorum sermonum moram. Tum priorem interrogationis partem (χαίρουσιν οὖν τούτοισιν;) respiciens, ad quam vel nunc licet breviter respondere, ait illos gaudere, quod cum uno

verbo *χαίρουσιν* potuerit efferre, maluit eodem sensu dicere *καλῶς τὰ κείνων πάντα* „bene illorum omnia se habent", i. e. fortunatissimi sibi videntur esse, nihil opinantes laetius sibi potuisse accidere caeterisque rebus suis secundis adiungi quam Orestis interitum. Addit autem acumine quodam *καὶ τὰ μὴ καλῶς* „etiam quae non bene se habent", quo indicat minime eos suspicari falso se deceptos esse nuntio vel, quae faustissime videantur evenisse, ea ipsa perniciem sibi esse allatura.

Itaque non probamus eam interpretationem, qua *καλῶς τὰ κείνων πάντα* explicantur: „opportuna vobis omnia sunt", cum propter praecedentia, quibus hoc dicto respondetur, tum propter sequentia, quae ratione idonea cum hoc dicto sunt coniungenda. Etenim quam Schneidewinus proposuit verborum *καὶ τὰ μὴ καλῶς* veram explicationem „auch was für sie nicht gut steht", ea tamen aliena est ab hoc loco, si *καλῶς τὰ κείνων πάντα* sunt dicta de rebus Clytaemnestrae, quippe quae opportunitatem facinoris perpetrandi praebeant Oresti. Nam quae in Clytaemnestrae rebus favent Oresti cum plane eadem sint atque ea quae Clytaemnestrae sunt nocitura, quid sibi velit interpositum illud *καί*, quo indicetur novi aliquid adiici et quod maius sit graviusque? — Hermannum si quis sequatur verba *καὶ τὰ μὴ καλῶς* interpretatum: „etiam scelestum Clytaemnestrae de morte Orestis gaudium", duriorem is inferet loco ambiguitatem; duplici enim sensu accipienda erit vox *καλῶς* tam brevi spatio iterata, primum ita ut referatur ad rerum Orestem adiuvantium opportunitatem, deinde ita ut significet quali animo sit qualemque se praebeat ipsa Clytaemnestra. — Praeterea cum post ea quae commiserat Clytaemnestra scelera mirum non potuerit esse, quod de Orestis mortui nuntio vehementer laetaretur, vix credibile est paedagogum laetitiam illam admiratum tanti fecisse ut tam gravibus eam iisdemque tam obscuris verbis commemoraret. Denique Hermanni explicatione distinguuntur quasi quodammodo quae a Clytaemnestra facta sint sceleste ab iis quae non sceleste sint facta, vel saltem, quamquam vitae eius conditio et fortuna paene tota nititur flagitiorum turpitudine, tamen gaudium quo afficitur illa Orestis morte praeter cetera ei obiicitur ut scelestum et impium. Quae omnia ut credamus et cum totius loci ratione et cum paedagogi sensu et cogitatione congruere persuadere nobis non possumus.

Soph. Phil. v. 391—402.

ΧΟΡ. *Ὀρεστέρα παμβῶτι Γᾶ, μᾶτερ αὐτοῦ Διός,*
ἃ τὸν μέγαν Πακτωλὸν εὔχρυσον νέμεις,
σὲ κἀκεῖ, μᾶτερ πότνι', ἐπηυδώμαν,
ὅτ' ἐς τόνδ' Ἀτρειδᾶν ὕβρις πᾶσ' ἐχώρει,
ὅτε τὰ πάτρια τεύχεα παρεδίδοσαν,
ἰὼ μάκαιρα ταυροκτόνων
λεόντων ἔφεδρε, τῷ Λαρτίου
σέβας ὑπέρτατον.

Hoc carmine quae canit chorus quaeritur utrum falsa sint omnia et ficta, an vera et rebus quae factae erant congruentia possint haberi. Quod diiudicari nequit nisi accuratius consideratis iis quae

paulo ante exposuit Neoptolemus. Is enim narravit post patris mortem se ab Ulixe et Phoenice arcessitum esse Troiam; quos se lubenti animo secutum esse et patris quem vivum non vidisset mortui saltem adspiciendi cupiditate, et gloriae studio ductum, quia Troiam negassent illi a quoquam nisi ab Achillis filio expugnari fas esse. Troiam autem cum advenisset ab exercitu Graecorum exceptum sese esse magna laetitia patris faciem agnoscentium. Deinde complorato patris leto cum Atridas rogasset, ut et arma paterna et quaecunque ille reliquisset sibi redderent, respondisse illos, alia omnia datum iri praeter arma Achillis quae in Ulixis iam essent potestatem tradita. Tum se graviter conquestum de iniuria sibi illata etiam turpissimis probris ac contumeliis ab Ulixe esse vexatum; quare Atridis maxime qui talia fieri paterentur irascentem se relictis statim castris Graecorum reverti rursus in insulam Scyrum, unde arcessitus fuisset.

In his si praeter unum illud, quod Troiam arcessitus est Neoptolemus, omnia sunt ficta et commenticia ac ne ea quidem vere sunt dicta quae ad arma Achillis Neoptolemo denegata rixamque inde coortam pertinent, necesse est statuere chori quoque omnia esse falsa, eumque putabimus callide intelligentem qua fraude usus sit Neoptolemus socium se addere simulatori et sic loqui ut dolum istum adiuvet dictisque suis illius mendaciis fidem faciat.

Quod ita se habere non videtur nobis verisimile esse. Facilius crederemus, si chorus colloquio personarum se immiscens nudis verbis efferret ea quae stropha illa continentur. At, quod non levis est momenti, cantat ille carmen melicum, invocatque Tellurem Iovis matrem testemque adhibet dictorum suorum, oratione utitur pietatis ac reverentiae plenissima. Quae omnia si sunt vana, quo meliorem prae se ferunt speciem, eo magis nefariae arguenda sunt impietatis, nec mendacem solum se praebet chorus, quod possit fortasse excusationem habere magnae domini adiuvandi cupiditatis, sed summum numen divinum illudit eiusque sanctitate abutitur ad tuendam fraudem. Fatemur quidem peculiare quoddam ingenium choro Philoctetae tributum esse a Sophocle, quod, etsi est ei aliquid similitudinis cum Aiacis choro, tamen cum nulla alia eiusdem poëtae fabula plane possit comparari; multo minor enim conditionis, vitae, sensus, voluntatis in hoc est dignitas quam in reliquis. Sed orationem a religione abhorrentem nulli unquam choro tragico, ne huic Philoctetaeo quidem affinxisse Sophoclem pro certissimo videtur esse habendum. Itaque censemus, quae chorus hoc carmine commemoret, ea non esse ficta sed congruere cum re et veritate. Quod si recte statuimus, sequitur etiam quae Neoptolemus exposuerit de armis paternis sibi denegatis deque rixa quae propter hanc rem sibi cum Atridis intercesserit, sincere esse dicta atque rei veritatique convenienter.

Iam si quaerimus quid alii scriptores ea de re tradiderint, Homerus in Od. XI, 506 sqq. ubi narrantem Achilli apud inferos fecit Ulixem de Neoptolemi filii virtute ac prudentia, armorum nullam iniecit mentionem. Apud Quintum autem Smyrn. (Paralip. Hom. VII, 194 et 444 sqq.) Ulixes persuadens Neoptolemo ut Troiam Scyro secum transvehatur ultro promittit patris arma se ei daturum eademque arma Neoptolemus ut in castra Graecorum pervenit statim proelium initurus sibi induit. Similia Proclus in chrestom. ex Lesch. Il. min. videtur retulisse. Hos igitur si sequemur auctores, abiicienda erit ea quam supra proposuimus de hoc loco sententia. At quid obstat quo minus sumamus praeter eam famam,

qua ipse Ulixes ferebatur Neoptolemo patris arma concessisse, aliam exstitisse famam, qua Ulixes diceretur recusasse de armis reddendis nec reddidisse nisi post rixam cum Neoptolemo coortam vel permotum aliqua ratione vel coactum. Certe tantum abest ut, qui rem ita actam finxerit, ab Ulixis ingenio, quale vulgo putabatur fuisse, discesserit, ut paene mirum videri debeat, si res Ulixis moribus tam conveniens a fabularum inventoribus fuerit praetermissa. Quin etiam si nemo antea fabulam sic conformatam prodiderit, ipsum Sophoclem putamus excogitasse haec, quibus consilio suo res antea gestae accommodarentur.

Itaque quae in Neoptolemi oratione miscentur falsa cum veris, ea ita sunt distinguenda, ut pro veris habeantur quaecunque cum chori carmine consentiunt. Fallere Philoctetam incipit Neoptolemus, ubi etiamnunc paternis armis se simulat orbatum esse ac propterea redeundi in patriam cepisse consilium.

Chorus autem non ignorans quem ad finem pertineat rerum a Neoptolemo expositarum veritas, quia iussus est observare atque imitari quaecunque vel loquentem vel facientem vidisset dominum, prudentissime canit quibus neque aperiat quod texit Neoptolemi oratio, neque augeat vel confirmet eiusdem commenta. Hoc enim si fecisset, verendum erat ne quid imprudens committeret, quod Neoptolemi consilio vel contrarium esset vel adversum. Itaque satis habet carmine suo confirmare id, quod a Neoptolemo vere dictum agnovit; narrans enim quid eo tempore, quo Neoptolemus spoliabatur armis paternis, revera fecerit ipse, neque obest ullo modo Neoptolemi inventis et adiuvat eiusdem in decipiendo Philocteta industriam.

Hoc de loco quae disputavimus, ea propterea non parvi nobis videntur esse momenti, quod huius carminis explicatione veluti norma quadam dirigi debebit omne de chori Philoctetae mente atque ingenio iudicium.

Sed ne diutius Te moremur, Vir clarissime, iam finis faciendus disserendi. Unum est, quod addamus. Deum Optimum Maximum precamur, ut quam diutissime Te velit humanitatis studiis inter nos praeesse longissimaque perfrui rerum Tuarum omnium incolumitate. Vale.

